

mentatus est Bogislaus Philippus Kemnitz, quippe tabulariis Svedicis & commentariis Ochsenstirnianis usus, atque ex eo Hermanides & Zeillerus, tum Adolphus Brachelius & Christianus Adolphus Thuldenus, sed uterque interdum studio partium obnoxius, hic verò magis, & rectè à Io. Loccenio castigatus, ac præterea impar stylo, nequid addam de Io. Micrælio & Io. Cluvero: reliqua sciri à quolibet, & colligi ex Theatro Europæo possunt.

I.

Pomerani, quatenus ad memori-

am posteritatis pertinent, longis inter Viadrum Vistulamque sedibus positi, a unde hoc nomen adepti sint, b prius causam & modum, quàm quas res gesserint, tradam, tradere autem induxi neque ad invidiam, neque in gratiam gentis.

a *Testes sunt non leves, iique minimè pauci, & studio diligentiaque consecuti, ut plurimum ipsis tribuatur. Jornandes ab seculo VI. scriptor suffragatur, & fidem facit, Venedos, quorum pars Pomerani sunt, ab ortu Vistulæ fluminis per immensa spatia venisse, ac frequentissimo numero illic consedisse. Vistula ergo aut est principium, aut terminus numerandi Pomeranos: illo modo, qui Iornandis instituto respondet, Slavos cis-Oderanos, hos trans-Oderanos vocabimus, qui pertinet ad mentem scriptoris scholiorum in Adamum Bremensem, quemque declaravimus in dissertatione de rebus Pruss. Not. ad §. 2. Spectat huc tabula Germania in recensione Ptolomæi Munsteriana. De Procopio, qui eodem seculo prodidit de Slavis, cuiusquæ editio Hæscheliana apud me est, vid. fo. Matth. a Sudetis. Adamus Bremensis exploratissime vir industria, & magna apud nos autoritatis Hist. Eccles. l. 1. cap. 13. graviter affirmat, Oddoram vergere in Boream, ac transire per medios Vinulorum populos, donec perveniat ad jumnem, ubi POMERANOS dividat à VViltzis.*
Ea-